



**Erasmi a Chokier Tractatus iurisdictionis ordinariae in  
exemptos, illorumque exemptione ab ordinaria  
iurisdictione**

in duos tomos distinct.

Quo Praeter Varias Ac pervtiles Additionibus praecipuis & in foro  
potissimum occurentibus Tomi primi Quaestionibus annexas, etiam S.  
Rotae Romanae Decisiones Novissimae De Eadem materia editae, &  
singulari studio selectae continentur - Hac postrema editione  
praecedentibus duobus Tomis primum additus

**Chokier, Érasme de**

**Coloniae Agr., 1684**

Decisio XXIX. De iurisdictione quam habet Archiepiscopus circa  
visitationem Ecclesiae intra fines suae diocesis existentis, praesens tractat  
decisio adversus praetendentem exemptionem ab illo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61921](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61921)

Propterea unus ex Dominis animadvertebat, quod si revera Abbas, ut narra-  
tur obtinuit contra Archiepiscopum, multam deserviret pro capienda resolutione,  
quod ad ipsum spectet jus visitandi, quia sententia pro ipso lata contra eum ad quem  
principaliter spectat interesse, deservire deberet contra Rectorem & Beneficiatos  
sacri Thomæ, ad quos non multum pertinet visitari, ab uno, vel ab alio, & tunc  
cellaret questio proprietatis, & Abbas sola possessione juris visitandi juvari posset.

DECISIO XXIX.

De jurisdictione quam habet Archiepiscopus circa  
visitationem Ecclesiæ intra fines suæ diocesis ex-  
istentis, præfens tractat decisio adversus præten-  
dentem exemptionem ab illo.

R. P. D. R O I A S.

Salisburgen. Jurisdictionis.

Decisio 120.  
par. 9 recens.

Mercurii 1. Julii 1643.

SUMMARIUM.

- 1 Enunciativa antiquissima probat etiam in materia jurisdictionis, maxime, si recipiat fomentum ab actu in quo emittitur.
- 2 Chrisma & oleum sanctum recipi debent à diocesano.
- 3 Enunciative ubi sunt numero plures, & emittunt à diversis personis, imò, & ab ipsa parte, plene probant, maxime si a iuribus.
- 4 Pontificis, ac Cardinalium assertioni.
- 5 *Consuetudum est, donec contrarium probatur.*
- 6 Ecclesia presumuntur stare in aliqua diocesi, dum non probantur habere territorium separatim, & ad hunc effectum sufficiunt conjecture, & præsumptiones num. 6.
- 7 Donationes facta de pluribus locis alicui Monasterio continent quidem dominium, ac jurisdictionem temporalem non autem mutant situationem Ecclesiæ in illis existentis.
- 8 Donator Territorii vel Castri, si est Laicus

- Laius, non potest disponere de iure  
diocesano, cuius prorsus est incapax.
- 9 Jurisdictio spiritalis non inferitur ex  
jurisdictione temporalis.
- 10 Pontifex tantum valet separare terri-  
torium à diocesi.
- 11 Archiepiscopus fundatam habet inter-  
ventionem de iure communi super iure  
visitandi Ecclesias positas intra limites  
sui Archiepiscopatus.
- 12 Jus visitandi est annexum illi parti Ju-  
risdictionis, cui subiacet cura anima-  
rum.
- 13 Jus visitandi quoties non exprimitur in  
transactione facta super jurisdictione  
inter Episcopum, & alios, semper  
censetur preservatum.
- 14 Sigilla omisso non tollit fidem scriptura,  
nisi probetur partes expresse conve-  
nisse, quod instrumentum absque si-  
gillo non valeret.  
Sigillum in dubio presumitur requi-  
situm ad maiorem firmitatem nume-  
ro 14.
- 15 Scriptura informis plenam facit proba-  
tionem stantibus adminiculis.
- 16 Scriptura extranea ex alicujus Archi-  
episcopi, plene probat contra illam.
- 17 Scriptura etiam informis, seu exem-  
plum plenam facit probationem ad-  
versus eum, qui eam exemplari se-  
cit.
- 18 Confirmatio si remanet plene justificata,  
eo ipso dicitur justificata veritas rei  
confirmata.
- 19 Scriptura vera in parte presumitur ve-  
ra in totum.
- 20 Observantia dat robor scripturae quae  
vis informis.
- 21 Concordia in parte effectivata pro quibus  
vis effectivata in totum.
- 22 Exemptio generalis non comprehendit  
exemptionem à visitatione.
- 23 Territorium separatim non resistit  
exemptioni.
- 24 Enunciatio emanata ad visitationem  
partis, & de recenti, nullam facit  
probationis gradum.
- 25 Ordinario censetur reservatum cum  
illud, quod per privilegium non ad-  
mittitur.
- 26 Transactio habet vim rei iudicatae, &  
perpetuum imponit silentium.
- 27 Sententia aliisque acta remanent sub-  
lata per subsecutam transactionem.
- 28 Visitaciones clandestinae facta sine scien-  
tia, & patientia Archiepiscopi, non  
praeducant.
- 29 Jus Territorii separati, & distincti non  
acquiruntur ex praescriptione, sed ex se-  
lo privilegio Principis.
- 30 Archiepiscopus in his quae concernunt  
curam animarum, & administratio-  
nem sacramentorum habet jus visi-  
tandi etiam loca exempta.
- 31 Abbates quamvis habeant jurisdictio-  
nem quasi Episcopalem subiacent  
ordinario circa visitationem Ecclesia-  
rum in his quae concernunt curam anima-  
rum & administrationem sacramen-  
torum.
- 32 Planta confecta lite pendente, & suo  
partis citatione nullam habet sub-  
stantiam.

Constare de bono Jure Reverendiss. D. Archiepiscopi Salisburgen. fuit hodie resolutum, eumque posse visitare Ecclesias parochiales in Kalten. Kirchen. & in Afflanz, in Hoffa in Cellis, in Vreitlcha, in Leshiz, in Sutting, de quibus in dubio, ex quo constitit illas existare intra fines propriæ diocesis Salisburgen. ut videtur esse in privilegio Innocentii Tertii pro parte Abbatis S. Lamberti ad versarii pro parte ipsius, ibi, à Salisburgen. Episcopo, in cujus diocesi estis, &c. Propterea dicta enunciatio eo magis probatur, cum sit antiquissima, dum excedit metam. 200. annorum, & recipit fomentum ab actu, in quo emittitur. Achill. decis. 7. de jure patr. Pur. decis. 149. lib. 2. in correct. Rot. decis. 143. num. 3. & 224. num. 4. in fin. par. 1. recent. & in Theatina jurisdict. S. Joannis in Venere 4. Maji 1612. coram bon. mem. Coccino. In dicto privilegio etiam demandatur dicto Abbati S. Lamberti, ut recipiat à præfato Archiepiscopo Salisburgen. chrisma & oleum sanctum, quod esse recipiendum à diocesano tradunt Text. in cap. presbyteri, concessio potestatis in fine libri.

Hanc veritatem comprobantur multiplicata enunciatio delumptæ tam ex literis Apostolicis Joannis XXII. directis Archiepiscopo Salisburgen. ibi, nuper pro parte Ortulphi Monachi Monasterii sancti Lamberti in diocesi, &c. quam etiam ex Bulla Alexandri VI. emanata super confirmationem concordie initæ inter D. Archiepiscopum, & Abbatem S. Lamberti ad eorumdem petitionem emanatâ, ibi, pro parte Archiepiscopi Salisburgen. ac dilectorum filiorum Joannis Abbatis, & Conventus Monasterii S. Lamberti Ordinis S. Benedicti Salisburgen. diocesis, &c. Nec non etiam in litteris S. Susanzæ directis Corrado Episcopo Seccovien. super revocatione attentatorum, in quibus expressè enunciatur d. Monasterium Salisburgen. diocesis; ulterius ex aliis literis Cardinalis Camerarii Urbis directis Innocentii Tertii. Cum eadem enunciatio, quæ d. Monasterium & Ecclesia essent Salisburgen. diocesis, & demum ex aliis literis Pauli II. Sixti IV. ad supplicationem Imperatoris, ac Abbatis concessis, in quibus non solum legitur enunciatio Salisburgen. diocesis; verum etiam legitur concessa facultas audiendi Confessiones confiteri volentium intra septa Monasterii, ac singulis Ecclesiis dicto Monasterio unitis etiam in casibus ordinariis locorum reservatis, sine tamen præjudicio illorum, unde Abbates remanserunt subjectioni ordinario Salisburgen. quæ omnes à dicto Abbate sancti Lamberti fuerunt productæ, quibus propterea enunciatio tanquam numero pluribus, & emanatis à diversis personis, imò ab ipsomet Abbate, nec non Antiquissimis mortalium memoriam excedentibus plenè venit credendum, Rota decis. 180. num. 4. par. 2. & decis. 120. numer. 6. par. 4. & decis. 261. num. 7. par. 6. recent. Andreas decis. 4. numer. 1. Duran. decis. 266. num. 4. & 5. & 446. & fuit coram me resolutum in Conversana Jurisdictionis. 3. Junii proximi præteriti & alibi passim.

Hinc etiam concurrunt assertiones Papæ, Cardinalium, ac partium; unde remansit

reant in indubitatum Ecclesias, de quibus agitur, extare sub diocesi Salisburgen. cum  
veniat standum prædictis assertionibus, donec contrarium probetur. *Rota decis. 324. num. 1. & 405. num. 1. par. 1. recent. & par. 2. decis. 656. num. 3. cum aliis per Adoniam Buzat. decis. 621. num. 2. 4.*

Accedit ulterius, quod nullus alius Episcopus concurret, qui præterit Ecclesiam qua diocesi sitæ extent, dum non probatur habere Territorium separatum, cap. *met. 16. quest. 7. cap. cum persona de privileg. in 6. Felin. in cap. grave num. 2. vers. imo videtur de offic. ordin. Bald. in cap. cum olim. num. 1. de præscrip. Buzat. decis. 578. num. 24. & 13. ubi quod ad hunc effectum sufficiunt conjecturæ & præsumptiones, & decis. 314. num. 2. & post Tract. Adoniam. Perus. de manut.*

Nec contrarium desumitur ex assertis donationibus huic Monasterio S. Lamberti factis à Duce Charinthie de diversis locis, quia illa continent quidem dominium ac jurisdictionem temporalem, non autem mutant situationem, *Vital. in dicit. 2. num. 44. de puzul. Franch. in cap. 2. §. si a. uo. vers. sed adverte, de constat. in 6. Rota decis. 324. num. 4. par. 1. recent. Nec disponunt de jure diocelano, cujus Donatorum prorsus incapaces tanquam Laici, cap. decernimus, de iudic. cap. sacro Sancta, cap. Mag. lana de elect. cap. causam que de præscrip. neque à finibus jurisdictionis temporalis potest inf. tri ad spirituales ex latè congelis in *Sabinen. diciturum 30. Aprilis 1590. coram bon. mem. Card. Huronyo Pamphilo, cum solus Papa valet Territorium separare à diocesi, Hostien. in cap. cum contingat. nu. 1. de for. compet. ubi Buzat. num. 11. par. 1. mit. num. 18. Bellam. num. 15. cum aliis per Rotam dicitur decis. 324. num. 2. par. 1. recent.**

Prædicta situatione positâ præfatarum Ecclesiarum intra limites d. Archiepiscopatus Salisburgen. venit optimè dicendum dictum Archiepiscopum habere iurisdictionem de jure communi ex sua propriâ ordinariâ. Jurisdictione super jure visitandi dd. Ecclesias, de quo in capit. congruente de offic. ord. ubi in specie agitur de Ecclesiis spectantibus ad Monasterium S. Benedicti, cap. sopita. 14. de consens. *Marescot. variar. resolut. lib. 2. cap. 15. num. 1. Rot. decis. 186. num. 1. par. 1. divers. & decis. 396. num. 1. par. 1. recent. & decis. 67. num. 1. decis. 68. num. 2. post 3. tom. Tamburin. de iuris. prax. & fuit coram me resolutum in dicta Convexana jurisdictionis 3. Junii præter. etoque magis stante concordia inita inter Archiepiscopos Salisburgen. & Abbatem pro tempore sancti Lamberti de anno 1420. & à sede Apostolica confirmatâ de anno 1493. in quâ disponitur, quod Abbas debeat petere, atque recipere ab Archiepiscopo commissionem, & auctoritatem instituendi, & curam animarum committendi, neque possit se introrittere in casibus Episcopaliibus, nisi fuerit ab ordinario hoc specialiter illi concessum, quodque institui ab Abbate ad has Ecclesias sint quidem privilegiati quoad personas eorundem, sed ratione populi, & personarum generantur in omnibus, & per omnia parere ordinario, quæ verba sunt amplissima.*

& me

*Handwritten notes in the left margin, including "F. T." and other illegible scribbles.*

de meridiana luce clariora, ita præservando Archiepiscopo auctoritatem curæ an-  
marum comprehendant jus visitandi ex quo est annexum illi parti jurisdictionis, cui  
subiacet cura animarum, Felin. in cap. super ex literis. num. 20. de rescript. Marsil. fin-  
p. 25. ad Med. vers. Et faciunt, Et conf. 34. num. 18. Mandell. conf. 322. num. 24. Et 45.  
Luther. de re benef. lib. 1. qu. 25. num. 26. Et 27. & sufficit quod de jure visitandi men-  
cordiæ Rot. decis. 62. num. 3. Et seqq. Et decis. 163. per tot. par. 1. recent.

Nec obstat, quod dicitur d. instrumentum concordie non esse in formâ pro-  
bandi ob passam lationem in sigillis. Quia hujusmodi omisso sigilli non tollit fidem  
scripturæ, nisi probaretur partes expressè convenisse, quod instrumentum absque si-  
gillo non valeret, alioquin enim præsumitur requisitum ad majorem firmitatem, ut  
in his terminis per bellè distinguit Hofsten. in cap. inter dilectos sub numer. 3. vers. cum  
Ego videtur de fid. instrum. quem sequitur ibidem Butr. num. 24. Card. num. 10. vers. sic  
Et quod dicit, Rotam Forcellen. annuat. Capituli. 24. Aprilis proximi præteriti coram Re-  
verendissimo Domino meo Decano in omnem casum legitur confirmatum in alio si-  
mili instrumento concordie inita de Anno 1493. accedente confirmatione Apo-  
stolica, quorum instrumentorum fides redditur certa ex multiplicatis adminiculis,  
quibus concurrentibus scripturæ etiam aliquin informis probationem facit, Me-  
noch. conf. 924. num. 35. Caputaquen. decis. 274. num. 2. par. 1. Buratt. decis. 243. num. 2. Et  
alibus sapius præsertim contra D. Abbatem, qui cum Archiepiscopus ob rebellionem  
subditorum Archivium Archiepiscopale quamplura instrumenta continens (& in-  
ter cetera hæc) amisisset, transumptam authenticam de proprio Abbati Archie-  
piscopo tradidit cum toto conventu, unde illud plenè probat juxta theo-  
ricam Barth. communiter à DD. approbat. an Auth si quis in aliquo num. 42. C. de eden-  
num. 5. vers. poterit tamen, Menoch. conf. 924. num. 28. lib. 10. cum scriptura etiam in-  
formis, seu exemplum adversus eum, qui exemplari assensus est, plenam faciat  
probationem, ut per Alexand. Felin. Det. Et alios congestos per Menoch. d. conf. 924.  
num. 28.

Adminicula autem in præsentem non desunt, eaque desumpta fuerunt ex ipso-  
met originali confirmationis Apostolicæ super dictâ concordia extracto ex registis  
Palatii. Unde dum verificata remanet confirmatio, approbata venit veritas con-  
cordie confirmatæ, ut advertit Rota in Pistorien. Archiepiscopatus. 15. Januarii 1629.  
coram bon. mem. Pirovano. Scriptura autem in parte vera præsumitur vera in alia. Surd.  
decis. 199. num. 3. Rot. decis. 190. num. 10. par. 6. recent. & observantia in præsentem dat ro-  
bur scripturæ, licet esset informis; Bald. conf. 402. num. 9. lib. 5. Cravet. conf. 101. num.  
4. Et 411. num. 16. Rota divers. decis. 375. num. 4. par. 1. Buratt. decis. 10. num. 21. Et 243.  
num. 6. Et par. 5. recent. decis. 230. num. 5. Et 146. num. 2. par. 7.

Obse-



- Observantia desumpta fuit ex pluribus concessionibus exhibitis factis à dicto Archiepiscopo ad instantiam D. Abbatis super curâ animarum, & absolutione casibus Episcopo reservatis cum expressâ relatione ad tenorem concordia, quæ sufficit probari in parte effectuatam ad hoc, ut totalis effectuatio probetur. *Garz. de benef. par. 12. cap. 2. nu. 294. Add. ad Gregor. XV. decis. 57. num. 9. in fin. Caval. decis. 403. num. 6. & 449. num. 7.*
- Nec pariter dicto Abbati suffragantur præterita privilegia exemptionis, dum sub generali exemptione non comprehenditur exemptio à visitatione. *Maresc. v. m. resol. lib. 2. cap. 15. num. 2. & 3. Gratian. discept. 870. num. 7. Lotther. de re benef. lib. 1. quest. 25. num. 15. Rot. decis. 2. de cens. in antiq. Achill. decis. 2. de exempt. Rot. decis. 186. num. 2. par. 1. ultra quod legitur reservata denominatione diocesis Salisburgens. & mandatur Abbati, quod recipiat chrismâ, & oleum sanctum ab ordinario Salisburgens. *summario Abbatis num. 2. nec adest territorium separatum, quod non relinquitur ab exemptione. Felin. in cap. grave num. 2. de offic. ordinar. Rota decis. 207. num. 2. par. divers. & decis. 324. num. 1. & 3. par. 1. recent.**
- Non obstant Modernæ enunciativæ de quibus in literis Gregor. XV. & S. D. N. in quibus dicta Abbatia sancti Lamberti appellatur Nullius, quia emanatur ad instantiam part. s. interfectæ, & sunt de recenti, unde nullum faciunt probationis gratiam. *Achill. decis. 8. num. 1. de iure patron. Burati. decis. 570. num. 4. & 8. Caval. decis. 61. num. 1. & 2. & in Colonia. Canonatus 24. Major. 1619. coram Manzanedo.*
- Minus ad inducendam libertatem sufficiunt verba illa, quod Monasterium sit sub protectio ne B. Petri, & in signum libertatis solvat Ecclesiæ Bizanzium unum annuum, ex quo quando privilegium habet in ventre aliquam limitationem, ut habetur in cap. si Papa de priv. in 6. quicquid per privilegium non admittitur, censetur ordinario reservatum. *Rota decis. 324. num. 5. par. 1. & 2. 21. num. 9. par. 5. recent. Boniti. decis. 321. num. 5.*
- Et id totum optimè declaratur tam diâ subsecuta observantia, quam transactio in actibus, dum solemus dicere eas vim habere rei judicatæ, & perpetuum impo-  
 26 nere silentium litibus, non minorem, si fratres, l. causam, C. de transact. *Rota decis. 414. num. 2. par. 2. recent. & 218. num. 1. & par. 6. Duran. decis. 219. num. 6.*
- Nihil obstant assertæ visitationes factæ per D. Abbatem post annum 1609. quia sunt actus clandestini, qui non præjudicant Archiepiscopo, cum non probetur ipsum scivisse, & succubuisse. *Cald. cons. 13. de iure patron. Rota decis. 30. num. 8. post Vivian. de iure patron. Lotther. de re benef. lib. 2. quest. 14. num. 138.*
- Nec jus Territorii separati, & distincti valuit acquiri ab Abbate longi temporis præscriptione, cum ex solo privilegio Principis competat. *Rota decis. 394. num. 4. par. 1. recent.* sed quatenus exemptionem aliquam probare valeret, præfatus Abbas  
 29 adhuc tamen non sufficeret, quin dictus Archiepiscopus ordinarius non possit visitare  
 30

tare præfata loca saltem tanquam sedis Apostolicæ delegatus ex dispositione Sacri Concilii Trident. sess. 7. cap. 8. sess. 21. cap. 8. & sess. 24. cap. 9. omnes de reformat. Martini. variar. resolut. lib. 2. cap. 15. num. 5. Barbof. de potestate Episcop. alleg. 74. numer. 7. Lamber. de re benef. lib. 1. quæst. 25. numer. 19. cum seq. Rot. decis. 396. num. 1. & 3. part. 2. nec non ex constitutione Gregorii XV. la 18. Bullar. tom. 4. ex cujus dispositione in §. 4. subjiuntur quomodolibet exempti etiam Regulares omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni ordinariorum in omnibus concernentibus curam animarum, & administrationem sacramentorum, ex quibus verbis comprehendi Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem firmat Lotther. de re benef. dicto lib. 1. quæst. 25. num. 24. & censuit sacra Episcoporum Congregatio impressa post dictam Bullam in 4. declaratione d. Bullar. par. 4. fol. 101. Ultimo non obstat Planta exhibita pro parte dicti Abbatis, quia lite pendente, & sine partis citatione confecta legitur, & nullam habet substantiam, ut in terminis Plantæ censuit Rota in Nullius seu Aprutina Jurisdictionis 10. Martii 1624. coram bon. mem. Archiepiscopo Duzozetto, & in Camerinen. domus 1635. coram bon. mem. Merlino.

Et ita resolutum utraque parte informante.

DECISIO XXX.

Agitur de jurisdictione Archidiaconi contra jurisdictionem Archiepiscopi quoad actualem & particularem jurisdictionem aliquorum castrorum. Præscriptio Quadragenaria cum bona fide & titulo quam vim habeat.

R. P. D. T A J A.  
Beneventana Jurisdictionis.

Decis. 440.  
par. 13. recent.

Veneris 28. Aprilis 1662.

S U M M A R I U M.

- 1 Jurisdictione, quando alicui competat cumulative, vel privative quoad alium.
- 2 Præscriptio Quadragenaria cum titulo & bona fide, operatur plura.
- 3 Præ-